

perator adhuc animi generosi hoc ægrè ferens, respon-
dit: Non tibi, sed Petro. Regessit Pontifex ambitious:
Et mihi, & Petro.

4 Modestia in defectu opponitur contem-
ptus honoris, qui est vitium morale, per quod
homo planè negligit & aspernatur honores.

S C H O L. Dicitur Græccè ἀφιλοῦμια, item μισθύμα,
& vulgò ab Aristotelicis μικροψυχία, nempe respectu ma-
gnorum honorum. Rarum est hoc vitium, inquit Zwing-
erus, atque etiam rarissimum, siquidem gloriz stimuli
nobis naturâ sunt insiti. Notetur quod Cic. habet lib. I.
offic. Negligere quid de se quisq; sentiat, non solum non
arrogantis est, sed etiā omnino dissoluti. Duo pro coronide
quæro: 1. Utrum virtus, an honoris major sit habenda
ratio? Resp. Vir bonus veri honoris conservandi & cu-
endi causâ morte potius appetere, quam verā infamiam
subire debet. 2. Utrum honor sit honorantis, an hono-
rati? Resp. Distinguendo inter honorem, quatenus su-
mitur activè, & quatenus passivè; illo modo honorantis
est, hoc honorati. Deinde honor magis est honorati, si
specie dignitatem & meritum, si vero judicium &
cōceptus, indeq; nascentem actionem externam, magis est
honorantis.

Ques̄tiones.

j.

AB.

Cap. XI. De AEquabilitate.

Sic fuit virtus moralis, quæ gubernat gratio-
rem affectum desiderii; sequitur ea quæ gu-
bernat gratiorem affectum lætitiae, & dici potest
Æquabilitas.

2 Æquabilitas est virtus moralis, moderans
affectum hominis in lætitia.

S C H O L. In scriptis Ciceronis hæc virtus passim